

Quod tamen singul. limita & intellige, præterquam si per disponentem sit dictum, quod prædicta bona nullo modo possit alienari, nec per momentum penes alium residere; sed quod, facta vel attentata alienatione vel delicto, statim transeat in sequentem successorem; quia tunc bona non transirent in fiscum durante vita condemnati, etiam quoad commoditatem vel perceptionem fructuum, sed statim debent pervenire ad sequentem proximum successorem; & à fortiori, quando expressè per disponentem dictum sit, quod prædicta bona non transeat in fiscum, etiam quoad fructus, durante vita condemnati; ita probat textus singul. in leg. Imperator. ff. de Fideicommissar. libertat. ubi habetur, quod si testator legavit alicui certos servos suos, ea lege & conditione, ne alicui alii serviant, sed continuè sint penes ipsum legatarium, & talis legatarius commisit delictum per quod bona ejus debent publicari, non debent publicari prædicti servi etiam durante vita condemnati, sed statim debent manumitti; & ad hoc notat & commendat ibi Bart. & communiter DD. Segur. in dicto loco, & Alexand. in dicto consil.

Item adde, quod etiamsi de jure bona majoratus deberent confiscari per delictum in prædictis casibus gravissimis læsæ majestatis divinæ, vel humanæ, vel contra naturam; tamen illud deberet intelligi propriè in bonis majoratus vinculis cum Principis licentia & facultate; non verò ex hominis dispositione, & legis permissione, ut in melioratione tertii & quinti, quæ secundum formam & dispositionem harum legum Taur. potest fieri, vel in bonis eorum, qui propter defectum liberorum, ea relinquunt vel donant extraneis; quia hoc casu videntur cessare jura & fundamenta superius adducta. Ex quo videtur inferendum, quod si fortè fiat majoratus cum Principis licentia & facultate, tam de bonis tertii, quam de aliis; & in facultate dictum sit, quod prædicta bona perdantur propter illa tria delicta gravissima, ut aliquando solet dici & poni in facultate Regia; benè confiscabuntur talia bona in dictis casibus, sed non tertium bonorum, in quo per has II. Taur. potuit pater constituens majoratum disponere, & simpliciter & indistinctè prohibere alienationem. Et istam opinionem vidi teneri ab aliquibus peritissimis viris in isto Regno: Sed ego teneo contrarium: imò, quod indistinctè omnia bona perdantur & confiscantur, tam ea quæ respiciunt tertium bonorum, quam alia; quia disponens non est usus facultate communi legum Taur. sed facultate particulari Regia, cum ejus qualitatibus; unde, omnia bona fuerunt unica, & receperunt illam novam qualitatem, ut censeantur

bona majoratus, & per consequens recipiant naturam, qualitatem, & effectum ejus; quia qualitas vel accidens superveniens in re, vel aliquo ente, constituit rem diversam, & facit eam alterius speciei, & amplius non consideratur de per se, adeò quod talis qualitas vel solemnitas quæ requiritur ad perfectionem actus, efficitur ejusdem naturæ cum ipsa re; & consummato jam effectu, licèt illa qualitas cesset, non desinit res vel actus habere naturam sibi informatam ratione qualitatis adjunctæ; ita probat text. in leg. Julianus. §. Si quis rem. ff. Ad exhibendum, text. in leg. Labeo. ff. de Verbor. signification. text. in leg. penultim. §. fin. ff. de Verbor. obligationib. Text. in leg. Si unus. ff. de Servit. rustic. præd. text. in l. Hæredes. §. An eadem. ff. Famil. eriscund. text. juncta sententia Bartol. & communi, in leg. fin. versic. penultim. Cod. ad Trebell. Text. in leg. fin. Cod. commun. de Success. text. in leg. fin. §. Filiis autem, Cod. de Bonis qua lib. text. in leg. Item illa, §. 1. de Constit. pec. tenet etiam & declarat optimè Bald. & communiter DD. in leg. 3. Cod. de Usufruct. Unum tamen est; quod si constituens majoratum expressè dixit, quod tertium bonorum non perdatur vel confiscetur etiam propter illa tria delicta; non confiscabuntur, etiamsi in facultate Regia dictum sit, quod bona majoratus confiscentur propter illa delicta; quia ipse disponens potuit uti facultate harum legum, si ita expressè cavet & protestatus est; quæ omnia nota, quia sunt singularia, quotidiana, & utilia.

TEXT. XLI.

MANDAMOS que en el Mayorazgo se pueda, probar la Escritura de la institucion de, el con la Escritura de la licencia del Rey que la dió, seyendo tales las dichas Escrituras que hangan fe, ó por Testigos que depongan en la forma que el Derecho quiere, del tenor de las dichas Escrituras; y assimismo por costumbre immemorial, probada con las qualidades que concludyan los passados haver tenido, y poseído, aquellos bienes por Mayorazgo; es á saber: que los hijos mayores legitimos, y sus descendientes succedian en los dichos bienes por via de Mayorazgo, caso que el tenedor de él dexasse otro hijo, ó hijos legitimos, sin darles los que succedian en el dicho Mayorazgo alguna cosa, ó equivalencia por succeder en él: y que los Testigos sean de buena fama, y digan que assi lo vieron ellos passar por tiempo de quarenta años, y assi lo oyeron decir á sus mayores, y ancianos, que ellos siempre assi lo vieron, oye-

LEX XLI.

oyeran, y que nunca vieron, ni oyeron decir lo contrario; y que de ello es pública voz, y fama, y comun opinion entre los vecinos, y moradores de la tierra.

Id est:

Præcipimus erga majoratum, ut ejus institutionis scriptura probari possit per scripturam licentia Regis qui illam dedit, modo prædicta scriptura sint tales, ut fidem faciant; aut per testes, qui in ea forma quam jus requirit deponant de tenore ipsarum scripturarum: Item, per morem immemorabilem * comprobatum eis qualitatibus quæ concludant, veteres habuisse & possedissee ea bona pro majoratu: videlicet, quod filii legitimi majores natu & eorum descendentes succedebant in prædictis bonis ratione majoratus, casu quo illius possessor reliquerit alium filium aut filios legitimos; quibus succedentes in majoratu nihil dabant in compensationem pro sua in eis successione. Et ut testes sint bona fama, & dicant, se ita vidisse fieri per tempus quadraginta annorum, & sic audivisse dici à suis majoribus & senioribus, qui illud semper sic viderint & audierint, & quod nec viderint nec audierint contrarium; cujus etiam sit publica vox & fama, & communis opinio inter vicinos, & incolas terra.

* Sic H. id est, antiquissimum, cujus initii vix extet ulla memoria.

COMMENTARI I

In Legem XLI.

SUMMARIUM.

- 1 Quomodo probetur majoratus?
- 2 In constitutione majoratus, an requiratur scriptura pro forma?
- 3 Quando scriptura perdita est, licèt pro forma requiratur, an probetur per testes?
- 4 Consuetudo præscribitur per decem annos.

Nota dispositionem hujus text. qualiter probetur majoratus? Ex qua nota sequentes conclusiones. Prima conclusio: Quod majoratus probatur per ipsam originalem scripturam institutionis majoratus cum licentia Regia ad constitutionem ejus. (o) Secunda conclusio: Quod non extantibus prædictis scripturis, probatur per testes qui deponant de earum tenore. Tertia conclusio: Quod his deficientibus, & nulla interveniente scriptura, nec probatione earum, probatur majoratus per testes, qui deponant de consuetudine immemoriali, quod antecessores habuerunt & possederunt illa bona per viam majoratus, & semper major præferbatur aliis. (p) Quarta conclusio: Quod hoc casu testes necessario & pro forma debent esse bonæ opinionis & famæ. Quinta conclusio: Quod prædicti testes debent deponere ad minus, se ita vidisse per tempus 40. annorum. Sexta conclusio: Quod ultra prædicta, testes etiam dicant & deponant se ita audivisse à suis majoribus & ancianis, & quod ita se habet, & est publica vox, & fama, & numquam viderunt nec audierunt contrariam.

Ex quibus infertur, quod sicut regulariter in aliis actibus non requiritur scriptura pro forma & solemnitate eorum, sed tantum ad faciliorem probationem; ita eodem modo in constitutione majoratus; ut probat text. in leg. In exercendis, & per totum. Cod. de Fide instrumentor. text. in leg. 1. & per totum. ff. eod. tit. text. in cap. 1. & per totum, extra, eod. tit. (q) Confirmatur etiam, quia pro essentia & validitate legis non requiritur scriptura, sed tantum ad faciliorem probationem, & posset probari per testes; argumento text. in cap. Consuetudo, 1. distinct. text. in §. Pro non scripto. Institut. de Jure natur. gent. & civil. text. in cap. 1. de Jurejur. lib. 6. text. in cap. 1. de Renun. eod. lib. & tenet Joan. Andr. in regul. nemo potest, de regul. jur. in 6. Anton. Abb. Imol. Felin. & Modern. in rubric. de Constitution. Item etiam confirmatur, quia gratia, privilegium vel licentia Regis, Principi-

(o) Idem tenet Matienz. in leg. 1. tit. 7. lib. 5. Recop. gloss. 3. in princ. Azev. ibidem num. 1. & omnes scribentes hic.

(p) Idem tenet Velazq. hic Gloss. 4. num. 1. Matienz. in dict. leg. 1. Gloss. 5. per totum.

(q) Hac de re latè Aflic. decisione 398. per totum. Dominicum in cap. Duobus, num. 3. de Rescript. in 6. Decium Beroj. in rub. de constitution. Alexand. consil. 107. volum. 7. per totum, & latius examinat Selva de Benefic. 3. part. quest. 22. per tot. Palac. Rub. hic num. 3. & Castell. verb. de la licencia, Molin. lib. 2. de Hispanorum primogen. cap. 8. num. 7. & 8. Burg. de Paz Junior. in quest. 4. num. 5. Matienz. in leg. 1. tit. 7. lib. 5. gloss. 2. num. 1. & gloss. 3. per totum. Azeved. in dict. leg. 1. num. 7. Velazq. de Avendañ. hic gloss. 2. num. 3. & 4.

Anton. Gomez, ad Legem Taur.

episcopis, vel summi Pontificis non requirit scripturam pro forma & substantia eius, sed tantum pro faciliiori probatione, argumento prædictorum iurium. Ex quo inferitur, quod si Rex, Princeps, vel summus Pontifex concessit alicui gratiam vel privilegium, & antequam sit de ea facta scriptura deceat & moriatur, non expirat nec finitur, si per testes vel alio modo possit probari; & debet denominari ab illo prædecessore, & non à successore: ita singulariter Bald. in leg. *Humanum*, Cod. de Legib. fin. column. & *question.* qui reputat notandum, & mente tenendum; & sequuntur ibi communiter DD. & latè Felin. quem vide in rubric. de *constitut.* 3. column. num. 5. Item confirmatur, quia quando aliquis actus ponitur in scriptura, modò requiratur pro forma, modò non; si illa perdat, vel non inveniatur, bene potest ejus tenor probari per testes; ita probat text. in cap. *Albericus*, de *Testib.* & ibi communis opinio, text. in cap. *Sicut*, de *Re judic.* text. in cap. *Cum olim*, de *privileg.* ubi expressè disponitur, quod privilegium deperditum probatur per testes; & ibi communis opinio tenet etiam Bartol. in leg. 1. ff. *Si cert. pet. ar.* num. 26. & ibi communiter moderni.

3 Et adde, quod regulariter de jure communi perdata scriptura, modò esset requisita pro forma, modò non: Ita demum probatur per testes, quando concurrunt sequentia; scilicet, ut probetur casus amissionis. (r) Item, quod testes probent de tenore ejus. Item, quod probentur substantialia ibi esse contenta, scilicet, locus, dies, signum Tabellionis vel Notarii, & quod apparebat sine aliquo vitio falsitatis. Item, quod testes super hoc deponentes sint periti litterarum, ut DD. Advocati, Tabelliones vel Notarii; quia si essent alii, tantum probarent semiple-nè: (s) Ita probat text. notabilis in materia, in cap. *Cum olim*, de *privileg.* & ibi Glossa ordinaria Abb. & communiter DD. text. in *Authent.* *Si quis in aliquo documento*, Cod. de *Edendo*, & ibi communiter DD. text. in leg. fin. Cod. de *Fide instrument.* tenet Paul. & DD. in leg. *Sicut ini-*

(r) Idem tenet Matienz. & Azeved. ubi *suprà*, Castill. hic verb. *Del tenor*. Velazq. de *Avendañ. hic*, in princip. Molin. lib. 2. cap. 8. num. 7. & lege omnino Velasc. in 1. part. de *Jure emphiteut. quest.* 7. num. 38.

(s) Hoc item tenet Matienz. in leg. 1. tit. 7. lib. 5. *Recop. gloss.* 5. ad fin.

(t) Circa autem hæc testium requisita, videndus est Azeved. in *dict.* leg. 1. tit. 7. lib. 5. num. 8. Matienz. *ibid.* gloss. 5. per totam. Pelaez de *Mieres quest.* 10. num. 27. & alia requisita scribit Burg. de Paz Junior *quest.* 4. num. 26. Azeved. *suprà* num. 8.

(u) Et idem tenet Avend. in *Dictionar.* verb. *Costumbre*, 4. conclus. verb. *Item aliud*. Azeved. in *dict.* leg. 1. tit. 7. lib. 5. num. 24. De istius consuetudinis probatione vide Velasc. hic gloss. 6. num. 1. Azeved. in *dict.* leg. 1. tit. 7. lib. 5. num. 24.

quam, Cod. de *Fide instrument.* & in aliis locis ibi allegatis per eos: Necessariò debet intelligi & suppleri ista nostra lex, in quantum dicit: *O por Testigos que depongan en la forma que el de-recho quere del tenor de las dichas Escrituras.* (x)

Item adde ad legem nostram, quod licet regulariter omnis consuetudo inducatur & præscribatur per decem annos, sine distinctione aliqua, quod sit inducta in præsentia, vel absentia; quia Civitas vel Populus semper est præsens, ut in leg. de *Quibus*, ff. de *Legib.* & ibi Bart. in *reperor.* 3. *quest.* princip. n. 14. Alber. Bald. Paul. & communiter DD. & in leg. 2. per tota Cod. *Qua sit longa consuet.* pro cuius probatione testes debent deponere de actibus illo medio tempore gestis, ex quibus resultat consuetudo; (u) & non sufficit dicere, hanc esse consuetudinem in tali casu, nisi testis sit literatus, vel Advocatus, vel Procurator expertus; quia peritis est credendum in arte sua, argument. text. in leg. 1. ff. de *Ventr. inspic.* & in leg. *Semel*, Cod. de *Re Mil.* lib. 12. Tamen in nostra lege & materia ejus, quando non reperitur scriptura majoratus, consuetudo ejus debet probari per formam & modum, de quibus hic.

TEXT. XLII.

„ Ordenamos, y mandamos, que la licencia del Rey para hacer Mayorazgo, preceda „ al hacer del Mayorazgo: de manera, que aun „ que el Rey de licencia para hacer Mayorazgo, „ por virtud de tal licencia no se confirme el „ Mayorazgo que de antes estuviere fecho, salvo „ si en la tal licencia expressamente se dixesse „ que aprobaba el Mayorazgo que estaba fecho.

Id est:

„ Ordinamus, & præcipimus, ut Regia licentia ad institutionem Majoratus precedat illius institutionem: ita ut, quamvis Rex eam dederit, virtute ejus licentia; Majoratus qui antea erat institutus, non confirmatur, nisi in ea licentia expressè dicatur, approbari Majoratum jam institutum.

COM-

COMMENTARIUM

In Legem XLII.

SUMMARIUM.

- 1 Quando aliqua forma requiritur in actu, requiritur quod precedat.
- 2 Aliquando forma que requiritur in actu, potest concedi post actum gestum, & valebit actus.
- 3 Si majoratus sit constitutus, & in eodem die est impetrata licentia, in dubio an videatur præcessisse?
- 4 Si eodem die est facta filio melioratio, & in eodem die filius emancipetur, an videatur præcessisse emancipatio?

Nota ex ista lege, quod licentia & auctoritas regia debet precedere in constitutione majoratus, & non sufficit quod subsequatur, nisi expressè per Principem dicatur, quod confirmatur majoratus antea factus & ordinatus. Ex qua etiam nota, quod quando aliqua forma vel solemnitas requiritur in actu, oportet quod illa precedat & non subsequatur. Quæ quidem lex & ejus dispositio confirmatur ex sequentibus: Primò, quia licentia & consensus patris ut filius adeat hæreditatem, debet precedere; text. in leg. *Si quis mihi bona*, §. *Jussum*, ff. de *Acquired. hæredit.* & ibi Gloss. ordinaria Bartol. & communiter DD. Secundo confirmatur; quia licentia & consensus patris ad hoc ut filius possit esse in judicio, debet precedere, & non sequi; text. est in leg. fin. §. *Necessitate*, Cod. de *Bon. qua liber* & ibi Gloss. ordin. Bald. & communiter DD. Tertio confirmatur; quia auctoritas tutoris vel curatoris in actu gesto à pupillo vel adulto, debet precedere, & in ipso actu interponi, (x) non verò sufficit ex post facto; text. est in leg. *Obligari*, §. *Tutor*, ff. de *Auth. tutor.* text. in §. *Tutor. autem*, *Instit.* de *auth. tut.* Quarto confirmatur; quia decretum judicis in alienatione rerum immobilium minoris debet precedere, & non subsequi; text. est in leg. 1. & per tot. ff. de *Rebus eorum*, text.

in leg. 1. & per totum, C. de *Privil. minor.* Quintò confirmatur; quia mandatum regulariter semper debet precedere actum; text. est in leg. *Si verò non remunerandi*, §. *Post fin.* ff. *Mandati* & ibi Gloss. ordin. & commun. DD. Sextò confirmatur; quia licet miles condemnatus crimine militari possit testari, & de bonis suis disponere, quando sibi permittitur & conceditur à judice; tamen debet intelligi, quando permittitur & reservatur in ipsa sententia, & non postea; text. est in leg. *Et militibus*, Cod. de *Milit. test.* & ibi Gloss. ordinaria & communis opinio; text. in leg. *Cum hoc status*, §. *Si miles*, ff. de *Donat. inter vir. & uxor.* & ibi etiam Gloss. ordinaria & communis opinio. Et ex his videbatur inferendum, quod hodiè in nostro Regno licentia mariti, quæ requiritur in actibus & contractibus uxoris, debet precedere & non subsequi: Sed contrarium disponit lex 58. *infra eod.* Sed advertendum, quod contra prædicta facit text. singularis in jure, in leg. *Si quis filio exheredato*, §. *Ritum*, vers. *Qua ratione*, ff. de *Injust. rupt.* ubi disponitur, quod si inhabilis ad testandum impetravit à Principe licentiam & facultatem testandi, nedum poterit testari, sed etiam confirmatur testamentum antea factum tempore inhabilitatis; & ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria Bartol. & communiter DD.

Ex quo textu inferuntur aliqua notanda & utilia. Primò inferitur, quod si emphyteuta vel feudatarius vendidit rem, irrequisito domino, & incidit in pœnam commissi, & postea dominus requisitus concessit licentiam, confirmatur venditio antea facta sine ejus consensu & licentia, & excusatur à pœna. Secundo inferitur, quod licet nemo possit facere molendinum in flumine navigabili sine licentia Principis; tamen si fecit, & postea impetravit prædictam licentiam, confirmabitur molendinum antea factum. Tertio inferitur, quod si Papa concessit alicui clerico licentiam ut possit testari de fructibus beneficiorum suorum, talis licentia extenditur ad testamentum factum. Quarto inferitur, quod licet nemo possit habere duo beneficia curata incompatibilia sine licentia Papæ; tamen si quis habeat prædicta beneficia, & postea impetravit licentiam, valet & tenet dispensatio, ut possit illa retinere; ita singul. Paul. de *Cast.* in *dict.* §.

(x) Est Gloss. in cap. *Educere* & ibi Bald. Abb. & Felin. de *Rescriptis*. Innocentius, Bald. Anton. & alii in cap. *Cum concordantibus*, traditis à Tiraquell. de *Leg. connub.* gloss. 6. num. 3. & 4. & à Matienz. in leg. 5. tit. 3. lib. 5. *Recop. gloss.* 13. ubi latissimè tradit per totam illam Glossam, quando actus nullus posset confirmari. Azeved. in leg. 1. tit. 7. lib. 5. *Recop. num.* 2. Pelaez de *Majorat.* 4. part. 2. *quest.* num. 2. & 10. Molin. lib. 2. cap. 7. num. 50.

§. Irritum & ibi Imol. & alii DD. idem Paul. in leg. Militibus, Cod. de Milit. testam. idem Paul. & alii DD. in leg. Si jam facta. ff. de Cond. & demonst. Jas. in leg. Quo minus de flumin. 21. quæst. num. 128. Quinto infertur, quod si quis impetravit à summo Pontifice certam præbendam vacaturam, & tempore concessionis jam erat vacans, valet & tenet impetratio, & potest retinere: Ita Gloss. notabilis & ordinaria in Clement. 1. in verb. Notitia de concess. præben. Glos. in cap. Si postquam, de præben. in 6. & ibi Domin. & DD. Sexto infertur maxima declaratio ad leg. 4. supra his ll. Taur. ubi habetur, quod condemnatus ad mortem potest testari: Nam certè, si tempore quo emanavit illa lex, quis haberet testamentum factum, valeret & confirmaretur.

Sed sustinendo nostram legem, & primò ex ea adducta in confirmationem, dico, quod non obstat. text. in dict. §. Irritum, versic. Qua ratione. Quia procedit, quando ex certa scientia testatoris vel concedentis datur & conceditur licentia, & actus pendet à sua voluntate; quia cum actum possit de novo facere, à fortiori confirmare & approbare; ita singul. Cyn. in leg. Si jam facta, de condit. & demonstr. & Imol. Socin. & alii DD. idem Cyn. in leg. Cum uxori. Cod. Quando dies legat. cedit. de quo per DD. & ibi & per Alexand. in leg. Titius. §. Lucius, de Liber. & posthum. per Jas. in dict. leg. Quo minus. ff. de Flumin. 21. quæst. num. 128.

Quæro tamen si eodem die sit factus & constitutus majoratus, & eodem sit concessa licentia & facultas Regia, & non constet nec appareat quod eorum præcedat; an valebit & tenebit majoratus & constitutio ejus? Et breviter & resolute ego teneo quod sic, & quod præsumatur licentiam Regis præcessisse: Et hoc tali fundamento & ratione; quia quando in aliquo actu duo vel plura concurrunt, quorum unum requiritur de necessitate quod præcedat, & non appareat de prioritate vel posterioritate; semper præsumitur illud præcessisse quod requiritur de necessitate pro forma & validitate illius actus; textus est notabilis & subtilis in leg. Cum in

testamento. §. Hac verba. ff. de Hæred. institutione; cujus verba sunt: Hac verba Publicius, Marcus, & Cajus invicem substitui hæredes mihi sunt, sic interpretanda sunt, uti breviter videatur testator tres instituisse hæredes, & invicem eos substituisse; & ibi notat Cyn. & antiqui, Bald. Imol. & alii DD. textus etiam singul. & expressus in leg. 2. §. Prins, versic. Sed si quis ita. ff. de Vulgar. & pupillar. (y) Pro qua sententia & conclus. est Gloss. singularis & expressa in Clement. de Rescript. & ibi communiter DD. Facit doctrina Arist. in prædicament. ubi dicit, quod illud est prius altero, à quo non convertitur continentia subsistendi.

Ex qua regula & conclus. generica infero sequentia. Primò infero, quod si eodem die appareat donatio vel contractus inter patrem & filium, & similiter emancipatio; & non appareat de hora vel tempore; præsumitur quod præcessit emancipatio, quia requiritur pro validitate actus. Ita Bald. Angel, Imol. & communiter DD. in dicta, leg. Cum in test. §. Hac verba. Secundò infero, quod si eodem die appareat de contractu & alienatione minoris super re immobili, & decreto & licentia judicis super eos, & non appareat de prioritate & posterioritate; præsumitur decretum & licentiam judicis præcessisse. Tertio infero, quod si eodem die appareat hæreditas alicui delata ex testamento vel ab intestato post mortem alicujus, & similiter aditio hæreditatis; præsumitur prius hæreditas delata quam aditio ejus; cum aliàs aditio non valeat antequam hæreditas sit delata, ut in leg. Qui hæreditatem, & in leg. Neminem, & in leg. Hæres institutus, cum simil. de acquir. hæred. Quartò infero, quod si eadem die fiat appellatio, & commissio appellationis, præsumitur quod præcessit appellatio. Item poteris inferre singularia in nostro jure communi & Regio.

TEX.

(y) Item tenet Molin. lib. 2. de Hispan. primogen. cap. 7. num. 51. Matienz. in leg. 3. tit. 7. lib. 5. gloss. 2. num. 2. confirmaturque hæc sententia ex traditis à Rotæ Auditoribus in dec. 2. sub titul. de Exceptionib. in novis. Felin. in cap. Pastoralis, num. 5. cum seqq. de præscriptionib. Jas. in leg. fin. num. 30. Cod. de Edict. divi Adriani tollend. Ripa lib. 3. resp. 3. num. 12. Alciat. de Præsumpt. reg. 3. præsumpt. 42. Si autem majoratus in licentia infertus, licet antea factus, videtur ea certa scientia confirmatus, juxta textum in cap. Venerabilis, & ibi Gloss. extra, de confirmat. utilis vel inutil. & ibi sequitur Abb. & Menchac. de Success. §. 26. num. 100. Matienz. ubi supra n. 3. Item etiam Alciat. & alii quos refert Molin. lib. 2. cap. 7. num. 21. Azeved. leg. 1. tit. 7. lib. 5. Recopil. num. 3.

TEXT. XLIII.

LAS licentias que nos havemos dado, ó ,, diemos de aqui adelante, ó los Re- ,, yes que despues de nos vinieren, para hacer ,, Mayorazgo, no espiren por muerte del Rey ,, que las diò, aunque aquellos á quien se die- ,, ren no hayan usado de ellas en vida del ,, Rey que las concediò.

Id est:

Licentia institutorum Majoratum à nobis hæcenus concessa, aut concedenda in posterum, aut à Regibus post nos venturis, non expirent per concessoris mortem, etiamsi ij qui acceperunt non fuerint usi vivente Rege qui eas concessit.

COMMENTARIUM

In Legem XLIII.

SUMMARIUM.

I An licentia Principis expiret morte ipsius Principis?

Nota ex ista lege, quod licentia Regis vel Principis alicui concessa ad constituendum majoratum, non expirat nec finitur morte ejusdem Regis vel Principis concedentis, quavis ille cui fuit concessa non sit usus ea in vita concedentis. Et confirmatur nostra lex & ejus dispositio, quia regulariter concessio, gratia, vel Privilegium Principis est perpetuum re integra, antequam sit executioni mandatum; text. est in cap. Si super gratia, de officio delegati, lib. 6. & Gloss. ordinaria, & communiter DD. text. in cap. Si gratiosè, de rescriptis, in 6. ubi disponit, quod solum quando exprimitur ad

vitam, vel voluntatem, expirat per mortem; secus verò si simpliciter, vel in dubio; quia semper durat perpetuò, etiamsi causa propter quam fuit concessum expiraverit & sit extincta; & ibi notat Dominicus, Ancharans. & communiter DD. text. in cap. fin. de Precariis, ubi habetur, quod licet precarium sit revocabile per expressam voluntatem concedentis, tamen non finitur morte. Facit etiam text. in leg. 1. ff. de Constitution. princip. text. etiam in leg. Imperialis, §. 1. versic. Sed & si talis, Cod. de Nuptiis, & ibi notat Bartol. & alii DD. (z) Cætera tamen circa istam legem & materiam ejus pertinentia vide in leg. 40. supra, eodem.

TEXT. XLIV.

EL que hiciere segundo Mayorazgo, aun- ,, que sea con autoridad nuestra, ò ,, de los Reyes que de nos venieren, ora por via ,, de contrato, ora en qualquier ultima volun- ,, tad; despues de hecho puedalo revocar à su ,, voluntad: Salvo si el que lo hiciere por con- ,, trato entre vivos, oviere entregado la pos- ,, session de las cosas, ó cosa contenidas en el ,, dicho Mayorazgo á la persona en quien lo ,, hiciere, ò á quien su poder oviere; ó le ovie- ,, re entregado la Escritura de lo ante Escrivano, ó si el dicho contrato de Mayorazgo se ,, oviere hecho por cosa onerosa con otro ter- ,, cero, assi por via de casamiento, ó por otra ,, cosa semejante: que en estos casos manda- ,, mos que no se pueda revocar; salvo si en el ,, poder de la licencia que el Rey le diò estu- ,, viesse clausula para que despues de hecho lo ,, podiesse revocar, ó que al tiempo que lo hi- ,, zo el que lo instituyò reservasse en la mis- ,, ma Escritura que hizo del dicho Mayorazgo ,, el poder para lo revocar; que en estos casos ,, mandamos, que despues de hecho lo pueda ,, revocar.

Id

(z) Vide Guidon. Pap. decisione 491. Rip. in Rub. de constitution. num. 48. Boër. decis. 346. num. 1. Archidiaconum in Proæmio. Sexti, in fin. versic. Sed pone, quem sequuntur ibi Joann. Andr. Domin. & Felin. cap. Caterum, num. 11. Ex quo plura infert. Didac. Perez in leg. ultim. tit. 2. lib. 2. Ordinam. col. 137. Molin. lib. 2. cap. 7. num. 64. Adversus tamen nostram legem objicitur, leg. 20. tit. 30. part. 2. ibi: Entregandole luego de los officios, ubi Gregor. Lop. ex ea notat, officia morte Regis ea concedentis expirare. Cujus difficultatis confirmationes refert Matienz. in leg. 2. tit. 7. lib. 5. gloss. 2. num. 2. respondens etiam ad legem partitæ in num. 3. & sequentib. Et quando possit Rex qui licentiam concedendi majoratum præstitit, eam revocare? traditum est, in leg. 40. num. 89. ubi videre potes alios plures, ibi: Ego teneo contrariam sententiam, & ibi: Nisi ea causa, &c. Et præsertim videndus Molin. de Primogen. lib. 4. cap. 3. per totum, ubi latissimè de concessione licentiæ prædictæ, & revocatione tractat.